



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Occupatio animae Jesu Christo crucifixo devotae.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

§.3. Adjungitur quoddam ejus exercitij corollarium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

tuta; sive demum in illa gustanda suavitate mirabili, ex mellifluis ejus plagis manante; præsertim autem os applicando ad vulnus amantissimi cordis, unde (uti diximus) S. Lurgardis aliq; dulcedinem inenarrabilem aliquando percepere.

*Postremò:* ut per internam tactum tanquam manibus atrectes Verbum vitæ, cõplectaris ipsius membra, deo-scularis vulnera: simulq; perentias quodammodo punctus spinarum, adactionem clavorum, cæteramq; plagarum ejus acerbiterem; earumq; sensum perinde in temet transferas, atq; si in tuo corpore, iisdemq; in membris, quibus Christus illas excepit, eos dolores experiare.

Concludat rem omnem pium cum Crucifixo colloquium, velut quemq; suos impulerit affectus.

Atque hæc ipsa exercitij ratio, etiam circa Christum in Eucharistia receptum, uti alias subindicavimus, utiliter adhiberi poterit.

§. 3.

*Adjungitur quoddam ejus exercitij corollarium.*

Verum ad calcem hujus capituli, quod ad aspectum personarum, quæ mysterio interveniunt, attinet, id addere liceat: ad sanctos affectus variandos non inutile fore, si nosmet etiam inter illas constituerimus, velut quid agatur spectantes, aut aliquid obsequij vel operæ, pro exercitij propositi ratione, sedulo exhibentes. Quo modo S. Ignatius in contemplatione de Nativitate, cum ejus mysterij personas, Virginem Deiparam, Josephum, infantem recens natum, &c. mentis oculis subijciendos admonuisset, ita subdit: *Inter quos me adesse singam, tanquam pauperculum & servulum indignum, eos spectantem, contemplantem, & eorum necessitatibus cum reverentia maxima famulantem. Quod facile erit, ad singula Christi patientis mysteria transferre.*  
Sed

Sed audiamus hîc Ubertinum de Casali in prologo primo sapiùs citato: ubi & aliam artem suggerit, nosmet videlicet in ipsas personas, quas contemplamur transformandi, eorùmq; sensus atq; affectus suscipiendi: quam equidem piam mysteria vitæ ac passionis Christi contemplandi rationem, ait se in primo religiosa vitæ tirocinio, interiori docente & manucente Christi spiritu, didicisse. Ita enim loquitur: *Fateor quòd me tantà unione jungebat sibi (scilicet Spiritus Christi) ut non tam præterita recolere, quam præsentia jugiter mihi viderer inspicere. Et nunc me asinum (inquit) nunc bovem, nunc præsepium super quod jacebat, nunc sibi assistentem famulum, nunc sibi congenitum uterinum, nunc ipsum parvulum JESUM faciebat, me mirâ transformatione sentire, in omnibus actibus vitæ suæ. Tandem juxta passionis suæ supplicia sic me transformativè sibi faciebat assistere; ut nunc mihi viderer Magdalena peccatrix, nunc quadam ab ipso electa sponsa, nunc frater & discipulus electus Joannes illius, nunc pia Mater lamentans, quæ ipsum genuit, nunc Lathro dexter sibi confixus, nunc ipse purus JESUS in ligno crucis clamans & expirans. Hæc omnia de se Ubertinus. Quorum tamen usus non nisi prudenti cum discretione assumendus est; & cuique sequenda tum directio Sancti Spiritus, tum genij sui propensio; ne alioquin nos in sensus absurdos, & vel indecoros ipsi mysterio, vel nostræ personæ aut indoli incongruentes induamus, & pro lucro fortè dispendium reportemus.*

## CAPVT XI.

*Christum perfectè amare cupienti, amorem suum proprium unà cum Christo esse crucifigendum.*